DE

HEPATITIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXV. MENS. MAII A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUDOLPHUS SCHULTZE

MARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

D. ARNDT, MED. ET CHIR. DR.
D. BOVERMANN, MED. ET CHIR. DR.
F. TEUTSCHER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

FILIUS.

LITERATURA.

Bierwirth, de hepat. structura et morbis, Leyd. 1706.

Bianchi, historia hepatis, s. theoria et praxis omnium morbor. hepat. et bilis, Turin 1716.

Clarke, Beobachtungen über die Krankheit auf Reisen nach heissen Gegenden; aus dem Engl. Kopenhagen 1778.

Scott, diss. de hepatitide, Edinb. 1778.

Willan, diss. de jecinoris inflammatione, Edinb. 1780.

Millar, diss. de hepatitide, Edinb. 1795.

Bovel, diss. de hepatitide, Edinb. 1797.

Saunders, observations on the hepatitis of India, Lond. 1809.

Griffith, an essai on the common. cause and prevention of hepatitis; Lond. 1817.

Thilenius, über Leberentzündung und ihre Behandlung nach Hamiltons Meth., in Hufelands Journal. Band 17, St. 1.

Reil, über die Erkenntniss und Cur der Fieber, 3. Auflage, Halle 1820. Band 2, p. 632.

L. W. Sachs, Handbuch des natürl. Systems der pr. Med. 1 Th., Abth. 2., p. 464., Leipz. 1829.

Abercrombi, pathol. und prakt. Untersuch. über die Krankh. des Magens, Darmkanals, der Leber und anderer Unterleibsorgane, aus dem Englis. v. G. v. d. Busch, Bremen 1830.

Stockes, die Heilung der inneren Krankheiten, von dem Standpunkt der neuesten Erfahrungen am Krankenbette, deutsch bearbeitet von Behrend, Leipzig 1835.

Pemberton, prakt. Abhandl. über verschiedene Krankheiten der Unterleibsorgane, aus dem Engl. mit Anmerkungen nach der 4. Original-Ausgabe von Bressler, Bonn 1836, p. 13.

Klein, diss. de hepatitide, Vienn. 1818.

§. 1.

MORBI DESCRIPTIO.

Plerumque hepatis inflammatio frigore et pulsu concitato ordiri solet, tum sequitur ardor, praecipue praecordiorum, qui mox toto potitur corpore; sitis vehementissima est, regio, in qua hepar situm est, dolet, quo ex loco dolores saepe ad collum, claviculam, aut humerum lateris affecti pertingunt. Saepius quoque aegroti brachium dextrum gravitate, stupore, torpore, pedem dextrum, praecipue suram, doloribus affectam conqueruntur. Latus sinistrum hisce doloribus sympathicis plerumque destitui solet. Sanguinis congestio ad hepar aucta est, quare hypochondrium dextrum ardens, tensum, tumidum invenimus. Sed non solum regio illa, verum etiam hepar ipsum intumescit, quo fit, ut diaphragma,

pulmo dexter, ventriculus, duodenum, eorumque functiones perturbentur, unde respiratio impedita, tussis, singultus, vomitus etc. —

In hepatitide saepius quoque bilis secretio fit irregularis; quae si oppressa est, icterus et alvi obstructio, sin adaucta, vomitus biliosus, et albi profluvium accedit. Urinam deinde in hoc morbo crudam, rubram, aut, bilis secretione oppressa, plus minusve flavescentem invenimus. Nervorum vasorumque systema plerumque per consensum afficitur, qua de causa rubor circumscriptus malae dextrae, oculi dextri visus imminutus, dolor humeri, stupor brachii, febris vel gravis, vel levis. Haec sunt morbi symptomata communia, quae plerumque nobis occurrunt. —

§. 2.

DIFFERENTIAE.

1. Totum hepar rarissime inflammatur; plerumque aut membranam serosam, quam formam hepatitidem erysepelaceam, aut substantiam organi, quam hepatitidem phlegmonodem vocamus, modo hunc, modo illum hepatis lobulum inflammatum videmus. Diversa autem inflammationis loca diversa praebent symptomata. Nam si membrana serosa est affecta, dolores sunt vehementissimi, lancinantes, morbus acutissimus; parenchymate autem inflammato, dolores sunt prementes, obtusi, decursus morbi magis chronicus. Si superficies convexa afficitur, dolores

hypochondrii dextri graves, ardentes existunt, inspiratione, tussi, pressioneque augentur; respiratio pulmonis dextri impeditur, multaeque aliae adsunt perturbationes sympathicae, immo inflammatio partis inferioris pulmonis dextri accedere potest. Si planum concavum aegrotat, bilis secretio praecipue turbatur, etiam ventriculus morbi particeps fit, et facillime icterus, aut vomitus biliosus, alvique profluvium nascitur. Interdum vesicula fellea sola inflammatur. Praecipue autem lobulus dexter afficitur; quo in casu aegrotus ad latus dextrum decumbere non potest. In inflammatione lobuli sinistri symptomata in epigastrio sunt vehementissima, ad quae vomitus et singultus accedunt. Denique si pars superior posterior hepatis inflammata est, pectoris quoque anxietatem et tussim animadvertis; regio lumbalis et renalis dolet, qui dolores alta inspiratione augentur, nec deest singultus. —

2. Saepius inflammatio, praecipue cum polycholia et diarrhoea biliosa conjuncta, levis est. Gravior autem ab exordio magna cum lassitudine, voce rauca, tremore linguae, pulsu parvo et oppresso apparere solet. Haec symptomata ex magna nervi splanchnici irritatione, ac sanguinis congestione ad hepar oriri videntur. Gravissimi autem morbi gradus in terris tropicis, praecipue in India orientali, inveniuntur, ubi cum febribus remittentibus, illa in terra endemicis, hepatitis saepe conjuncta est, nec non raro ibi dysenteriae naturam accipere solet. Liceat mihi, pauca de hepatitide, in Indiis grassante, afferre. —

Morbus, qui ibi non semper tam simplex est,

quam apud nos, sed, ut jam dixi, saepius dysenteriae formam praebet, ita se habet:

Aegroti dolores sentiunt supra arcum pubis et in humero, quominus urinam reddant, impediuntur; cutis flavescit, sedes fiunt sanguineae, aquosae, abdomen tensum, tenesmus; lingua initio morbi muco subalbido obtecta, tum rubescit; pulsus initio est durus, plenus, postea autem circa diem sextum, vel nonum parvus, debilis, tremulus; cutis ardens et sicca, deinde sudore tenace obtecta. Morbus tali modo intrans, quamvis saepe jam die quarto necare soleat, interdum tamen usque ad diem vigesimum, vel vigesimum quartum perdurare potest. Acutissima autem hepatitidis forma in illa terra est cholera. Etenim morbus subito irruit cum frigore, magna corporis lassitudine, respirationis difficultate, vertigine, fastidio ciborum, cephalalgia, lumbagine, manuum tremore, facie pallida, cute sicca, oculis languidis, singultu, pulsu parvo et frequente. Postea autem, si morbus progreditur, totum corpus ardescit, accedit vomitus biliosus, alvi fluxus, cutis atque oculi rubefiunt, pulsus est plenus, respiratio anxia, sitis vehemens, animus turbatus; cephalalgia et lumbago crescunt, lingua fit sordida, deliria, quae denique sudor universalis sequitur, quo facto, morbus remittit. Inter remissionem pulsus est normalis ceteraque symptomata diminuuntur, sed sapor amarus, atque ciborum fastidium restant. At non multo post majore cum frigore impetus vehementior et gravior redit, cujus symptomata etiam graviora sunt. Quamquam et hic impetus interdum su-

dore solvitur, tamen mox tertius insultus intrat, qui aegrotum ex mortis faucibus eripi non patitur. —

Hepatis inflammationem raro quidem simplicem saepius complicatam invenimus cum pneumonia lateris dextri, cum ictero, cum polycholia, dysenteria, diarrhoea. Omnium autem complicationum maxime timenda est conjunctio hepatitidis cum febre remittente et intermittente maligna, quae in regionibus tropicis, ac paludosis endemicae grassantur, quam autem complicationem apud nos rarius observamus. Hic morbus plerumque subito impetum facere solet cum deliriis, facie rubra, oculis splendidis ac prominentibus, carotidibus vehementer pulsantibus; non multo post aegroti sopore opprimuntur, cutis flavescit, accedunt convulsiones cum perniciosa sanguinis dissolutione, quam mors saepe hora decima vel duodevigesima elapsa sequitur. Non semper autem morbus ille tam gravis offertur atque ab exordio tam vehementes facit impetus, ut supra diximus. Tum typus morbi omnino est remittens, Hemitritaeo similis. Saepius autem incipit a vertigine, tantis membrorum doloribus, tantisque molestiis praecordiorum, ut aegroti lipothymia afficiantur, ac non prius reficiantur, quam magna pituitae copia per vomitum sit ejecta. Hoc in statu pulsus est parvus, tensus, frequens; remissio incipit a sudore universo. Mox autem febris iterum cruciat aegrotum, excrementa fiunt foetida, nigra materia evomitur, accedunt tendinum subsultus, petechiae, haemorrhagiae profusae, quas mors intra dies quatuor saepe sequitur. Interdum autem febris solvitur petechiis, carbunculis diarrhoea.

Huic febri remittenti malignae febris flava similis est.

Si causas remotas respicimus, hepatitis modo sporadica, modo endemica, modo epidemica, modo idiopathica, modo sympathica invenitur. Sympathica quidem praecipue in febribus gastricis, venosis ac biliosis, atque in encephalitide observatur. Sin vero morbi decursum intuemur, est modo acutus, modo chronicus. Cum autem de hepatitide acuta jam supra dixerimus, nunc paucis chronicam explicabimus, cujus signa saepe tam obscura sunt, ut initio morbi facillime praetermittantur. Sed haec sunt contemplanda:

Aegroti plenitatem aliquam praecordiorum se sentire putant; coucoctio ciborum est turbata, ructus subacidi, sensus stuporis cujusdam in latere dextro, praecipue in brachio, facies pallida, lingua albide obtecta pulsus acceleratus, aut rarus, interdum intermittens; sedes aut rariores, aut diarrhoea; denique hectice et marasmo mortem obit aegrotus. Hunc morbnm, qui saepe dysenteriae neglectae exitus est, praecipue in terris tropicis observari scimus. —

De charactere dynamico haec habeo dicenda. Praecipue aetate juvenili et virili sthenicus est, praevalente genio epidemico inflammatorio, et si refrigeratio, haemorrhoides suppressae, aut vis ulla externa morbum evocarunt. Sin autem homines debilitati hepatis inflammatione corripiuntur, eaque in terris palustribus grassatur, saepius characterem asthenicum erethisticum invenimus. Hepatitidis

chronicae natura, quamquam saepius asthemica, plerumque subinflammatoria apparet. —

§. 3.
DE VARIO MORBI EXITU.

Quatuor praecipue exitus observantur: resolutio, suppuratio, degeneratio, gangraena. —

1. Inflammatio resolvitur ad diem septimum, vel decimum quartum, si morbus nec gravior, nec neglectus, hepar ipsum antea integrum fuit et aegrotus bona vsletudine utebatur. Tum magna hepatis irritatio cedit, sanguinis congestiones diminuuntur, exsudata resorbentur, hepar redit ad volumen normale. Crisis sutem a sudore et urina, interdum ab haemorrhagia vel narium, vel ani incipit. Deinde hypochondrii immensa tensione diminuta, hepatis secretiones expeditae fiunt, quare vomitus biliosus, et alvi fluxus intrare solent. Rarius quidem accidit, ut morbus eruptione erysepelatis, aut pemphigi resolvatur. Laeti etiam ominis est, si, ceteris symptomatibus paribus, regio splenica dolorifica sit. Sputa critica adesse solent, si pulmo simul affectus erat. —

2. Suppuratio in hepatitide acuta facillime, in chronica autem vix cognosci potest. Etenim si inflammatio in suppurationem transit, symptomata quidem diminuuntur, sed non plane evanescunt; motus critici absunt, dolor fit pulsans, hypochondrium dextrum paulo tensum, reliqui dolores sympathici remanent; denique accedit febris hectica, quae magnam corporis maciem et sudores nocturnos efficit.

Suppuratione autem longius progressa, modo alvi fluxus, modo obstructio cernuntur. Chronicae vero hepatitidis exitus ille multo difficilius cognoscitur, quia saepius adeo tarde intrare solet, ut nos plane effugiat. Itaque ad abscessus dignoscendos respicienda sunt symptomata inflammationis, quae antecedebant, temporisque spatium, per quod exstitit. Aegrotus magis magisque macrescit, denique hectice et marasmo obit. Plurimi hepatis abscessus aetate virili ac praecipue in lobulo dextro observati sunt. Pus quidem modo albidum, modo fuscum, saniei simile, foetidum, invenimus. Hi abscessus, si minores sunt, saepe per plurimos annos sine ulla molestia existere possunt; majoribus autem hepatis substantia consumitur, ictrus plerumque accedit, regio, in qua hepar situm est, totumque abdomen intumescit; diarrhoea et sudores foetidi, urina purulenta apparent, aegrotus denique hectice moritur. Raro autem fit, ut pus in hepate resorptum per urinam, aut per pulmones emittatur.

Plerumque abscessus, si negligitur, rumpitur, pus in cavum abdominis effunditur, aegrotus peritonitide gangraenosa celerrime necatur. Interdum vero pus per ductum choledochum ad duodenum deducitur, unde aut per vomitum, aut per diarrhoeam ejicitur. At haecce diarrhoea plerumque chronica fit, excrementa loturae carnis simillima sunt, morbus oritur, quem fluxum hepaticum nominamus, quem morbum aegroti vix unquam feliciter superant. Nonnunquam autem abscessus cum organis vicinis concrescit, e. g. cum ventriculo, duodeno etc., pus effunditur, et vita interdum servatur. —

Abscessus, in facie concava hepatis siti, saepius diaphragma perforant, pus in cavum pectoris effundunt, empyema efficiunt. Quod si fit pulmonem cum diaphragmate ac pleura plerumque concretum invenimus; pus ad pulmonem pergit, quo destructo, phthisis hepatico-pulmonalis oritur. Rarius autem fieri solet, ut pus, postquam viam in pulmonem primum sibi patefecit et omnia symptomata phthiseos pulmonalis effecit, tum etiam duodenum perforet, eoque modo aegrotus servetur. —

Si vero fortuna favet, pus ad superficiem externam abdominis viam sibi aperit, et tumorem fluctuantem efficit, quem in regione costarum spuriarum inferiorum invenimus. Tumor ille initio durus, stricte circumscriptus apparet, tum autem in medio locus mollis ac fluctuans cernitur, qui sensim crescit, et magis magisque prominet. Tali modo abscessum in plano convexo hepatis videmus. Sin autem suppuratio profundior erat, tumor ille externus oedematosus et planior invenitur, sensim paulatimque altius emergit, et fluctuatio multo serius observatur. At non semper hepatis abscessus hunce tenet locum; interdum enim pus inter musculos abdominis et peritonaeum, aut ad umbilicum, aut ad regionem inguinalem, imo ad latus internum cruris aditum sibi aperit, atque tumorem undulantem ibi constituit. —

Exitus abscessuum illorum variat, rarissime enim sanantur, plerumque laetales sunt. Si fistula hepatis oritur, per tempus aliquod vita servari potest, sed tandem phthisi hepatica interficitur aegrotus. —

3. Degenerationes.

Nonnunquam in hepatitide magnam exsudationem aquosam inter membranam serosam et substantiam hepatis observamus, quam semper hydrops sqeui solet. Saepius autem, praecipue in inflammatione chronica, hypertrophiam hepatis cernimus, qua viscus hoc tantum volumen adipisci potest, ut fere totum abdomen impleat. Apud nos quidem haec degeneratio rarior est, ad quam efficiendam plures menses, vel anni necessarii sunt. Tum symptomata eadem habemus, quae hepatitis chronica offert. Dolores enim obtusi et sympathici, quos jam antea diximus, adsunt; regionem hepatis tumidam, faciem pallidam, ictericam videmus; non multo post accedunt pectoris oppressiones, pulsus intermittens, haemorrhagiae vel narium, vel ani, haematemesis, vomitus chronicus, icterus, ascites febris hectica. Hypertrophicum hepar modo valde induratum, modo emollitum, pulti simile, invenimus. Sed in utroque casu saepius tanta resorptio evenit, ut hepar etiam minus volumen, quam statu integro, teneat. Hi aegroti chronicae hepatitidis symptomatibus, praecipue dispepsia, laborant, denique icterici, ac hydropici facti, febre hectica et morasmo interficiuntur. —

Nonnunquam nodi hepatis oriuntur, quos, hepate ipso adeo tumefacto, ut promineat, per abdominis integumenta externa sentire possumus. Hi nodi saepe per longum temporis spatium sine magnis molestiis adsunt; sin autem emolliuntur, febrem lentescentem efficiunt, quae aut quotidie, aut

alternis diebus majore cum frigore impetum facit, quare cum febre intermittente facillime confundi potest. Sin autem lympha plastica exsudatur, mox pseudo-membranae formantur, quae hepar cum aliis organis irregulariter conjungunt, molestias autem aegroto non afferunt.

4. Gangraena.

Apud nos quidem hicce exitus rarius evenire solet, quam in terris tropicis. Tum dolores subito desinunt, pulsus fit debilis, inaequalis, frequens, extremitates frigido sudore obteguntur, sedes sanguineae, foetidae, nigrae, singultus, tendinum subsultus, facies hippocratica, deliria, meteorismus, denique mors.

§. 4.

AETIOLOGIA.

Aetas virilis praecipue ad morbum propensa esse videtur; infantes rarissime corripi videmus. In erysipelate enim neonatorum, quod partes genitales et extremitates inferiores tenet et cum vomitu bilioso et alvi fluxu, ictero ac meteorismo conjunctum est, praeter peritonaeum ac vasa umbilicalia, etiam hepar inflammatum invenimus. —

Homines, qui hepar admodum sensibile et temperamentum cholericum habent, et jam prius hepatitide, aut calculis biliariis affecti erant, nec non potatores, maxime hoc morbo laborant. Etiam dis-

positio hereditaria ad hepatitidem existere videtur. Causis externis maxime adnumerare debemus atmosphaeram pravam, regiones fervidas ac palustres. In Indiis orientalibus morbus est endemicus et epidemicus; apud nos aestate atque autumno grassatur. Praeterea autem graviores laesiones externae, vulnera, contusiones, ictus, conquassationes, regioni hepatis illatae; corporis refrigeratio, usus ciborum ac potuum frigidorum, corpore aestuante, ira vehemens, morbum efficiunt. Tum rheumatismo, mensibus haemorrhoidibusque suppressis, erysipelate, scabie, aliisque chronicis exanthematibus praemature sanatis per metastasin hepatis inflammationem oriri scimus. Porro encephalitidem, capitis laesionibus excitatam, cum hepatitide saepe complicatam reperimus. Nec raro fit, ut gastritis, diaphragmatitis, aliorumque vicinorum organorum inflammationes ad hepar usque propagentur, idque una inflamment. Saepius quoque in hominibus, qui chronicis pulmonum, vel cordis morbis laborant, hepatis substantiam auctam, alioque modo degeneratam invenimus, quod eo explicandnm puto, quod sanguinis circulatio in hepate impeditur, ejusque decarbonisatio non rite perficitur.

§. 5.

DIAGNOSIS.

Morbus non tam facile cognoscitur, quam fortasse videatur, praecipue leviter et chronico in-

trans. Polycholiam enim, dysenteriam, choleram, multas febres intermittentes, icterum, aliosque morbos saepe cum hepatitide esse complicatos, nunquam obliviscaris velim.

Hepatitis autem acuta facile cum pneumonia confundi potest; nam quum pulmo dexter inflammatus saepe intumescat, et diaphragma cum hepate deprimat, saepe fit, ut dolores illo in loco, quem hepar tenet, sentiamus, atque hepar ipsum prominens inveniamus. Sed in hepatitide dolores statim ab exordio morbi hypochondrium dextrum tenent; in pneumonia vero primum sublimiora sunt, postea descendunt. In pneumonia jam initio adest tussis, atque sputa sanguinea ac rubiginosa, in hepatitide autem nonnullis diebus post tussis sicca, non sanguinea intrat; in inflammatione hepatis inspiratione quidem profunda dolores augentur, exspiratione vero non crescunt; in pneumonia contra utraque respiratio et tussim, et dolores auget. In hepatitide porro symptomata biliosa ac dolores sympathici nobis occurrunt. Neque, ut diagnosis certior fiat, cetera symptomata, quae tubo acustico in pneumonia percipiuntur, omittenda sunt. —

Gastritis ab hepatitide facile dignoscitur: dolores enim sunt majores et e regione hypochondriaca sinistra usque ad hypochondrium dextrum pertinent; vomitum vehementiorem, et totum corpus multo magis affectum cernimus. In pericarditide dolores praecordia obtinent, pulsus est irregularis, aegrotus anxietate, magnisque pectoris oppressionibus vexatur, valde propensus est ad lipothymias. Tum in polycholia, quae facilius

cum hepatitide confundi potest, dolores non tam pertinaces ac vehementes existunt, qui, si corpus in adversum flectitur, diminuuntur; jam a principio vomitus, alvique fluxus biliosus intrant, febris abest, hypochondrium dextrum non dolet. Interdum tempore criseos magna bilis alienatae copia in intestinum effunditur, unde dolores, colicis similes, imo lipothymiae intrare solent, quae vero novam hepatitidis exacerbationem indicare, noli opinari; nam illi dolores subito intrant, atque abdomen tenent totum. —

Hepatitidem chronicam cognoscere, multo difficilius esse arbitror. Sed facies pallida, icterica, sensus plenitatis cujusdam in hypochondrio dextro, dolores illi sympathici nos ad morbum cognoscendum ducunt. Abscessus deinde hepatis cum aliis abscessibus, praecipue autem cum hydrope vesiculae felleae, commutantur. Hoc enim morbo ductus choledochus membranae suae internae inflatione, aut, quod saepius accidit, calculis biliariis, ita praecluditur, ut vesicula fellea valde extendatur, ac sub costis brevibus tumorem fluctuantem offerat. Hicce tumor non modo eodem in loco, ubi hepatis abscessus deprehenditur, verum etiam hepatitidem, quae stenochoriam ductus choledochi induxit, nonnunquam sequi solet. Plerumque autem ille ductus calculis, qui jam antea dolores excitaverant, impletus est. Hoc in casu diagnosis, quod attinet ad morbum sanandum magni est momenti. Haecce praecipue contemplanda sunt:

Dolores, qui hepatis abscessum antecedunt, semper distincti, vehementes, inflammatorii cogno-

scuntur, atque abscessus maturatione diminuuntur; in vesiculae felleae hydrope contra dolores, qui initio non vehementes, magis colici sunt, jamque antea aderant, redeunt nonnunquam, postea autem majores fiunt, vehementioresque. Porro cetera quoque symptomata, quae in gravioris interni organi suppuratione habemus, desunt, ut febris hectica, sudores nocturni, macies. Deinde vesiculae felleae tumor sensim crescit, initio circumscriptus est, sine margine duro, omnino fluctuans, abscessus autem citius oritur, initio non plane circumscriptus est, in medio tantum fluctuans, ejusque margo durus ac dolens. Si extensam vesiculam felleam digito premis, magna bilis pars in duodenum nonnunquam effunditur, quo colica et diarrhoea biliosa commoventur. Denique tumorem et hydropem vesiculae felleae uno tantum in loco, abscessus autem per totam hepatis regionem sparsos invenimus. Caveas autem, ne hepatis prominentiam, pulmone tumefacto, vel hydrothorace provocatam, cum abscessu hepatis confundas; praesertim quum morbos illos cum ictero complicatos saepe videas. Nonnunquam etiam tumores serosos, fluctuantes, hydatidibus impletos, aut magnam aquae copiam inter substantiam et membranam serosam hepatis observamus.

§. 6.

PROGNOSIS.

Morbi prognosin in universum dubiam esse, facile intelliges. Apud nos quidem morbus non

tam gravis est, quam in terris tropicis ac palustribus. In hepatitide acuta prognosis melior est, quam in chronica. Degenerationes rarissime sanantur. In inflammatione chronica faciei hecticae et hepatis intumescentiae decrementum, appetentiae ciborum incrementum boni, virium autem collapsus, macies universa, ascites, oedema pedum, mali ominis habenda sunt. Denique hepatis abscessus fere semper aegrotum aut phthisi hepatica aut peritonitide gangraenosa aliisve morbis interficiunt.

§. 7.

MORBI CURATIO.

1. Indicatio causalis.

Inflammationem, calculis biliariis ortam, primum sanguinis detractiones minuas, tum purgantia oleas a adhibeas. Si laesiones externae morbum effecerunt, apparatus antiphlogisticus, praecipue fomenta frigida, multum valent. In hepatitide autem, vel encephalitide vel capitis vulneribus per consensum excitata, curatio morbi primarii maximi est momenti. Deinde, si haemorrhoides, aut menses suppressi in morbi causis sunt, ut revocentur, primum adhibe venaesectionem, in pede, tum hirudines, vapores ac fomenta calida ad anum, vel genitalia, quo facto, ad hepatis curationem animum advertas. Ad inflammationem autem, ex corporis refrigeratione, aut rheumatismi metaschematismo

ortam, sanandam, primum sanguinis modicam copiam detrahe, deinde balneo tepido et vesicatorio externe, diaphoreticis, qraecipue Amon. cum Camph. conjuncto, interne utere.

2. Indicatio, quae spectat ad naturam morbi dynamicam.

Si morbi character, quod fere semper fit, sthenicus est, sanguinis detractiones et universales et locales statim instituendae sunt, quibus solis adhibitis vitam servare, degenerationes et abscessus hepatis prae cavere possumus. Quamvis nonnunquam morbus jam per temporis spatium aliquod adfuerit, aut aegrotum pallidum et longuidum, pulsum rarum ac debilem reddiderit, nihilominus tamen venaesectio minime omittenda est. Saepius etiam venaesectionem repetere oportet. Tum, huncce in modum vi morbi fracta, regione autem hepatis adhuc dolente, topicae sanguinis detractiones instituendae sunt, quae apud infantes semper sufficiunt. Deinde, si haemorrhagia critica narium vel ani oritur, quod non raro accidit, crises istae fomentationibus ac vaporibus calidis, ad partes illae applicatis, augendae sunt. Tum internis remediis utamur: Nitro, Amon. muriat. temperato, salibus neutris, acidis e regno vegetabili sumptis, aceto destillato, in vehiculo mucilaginoso, etc. Nec purgantia mitia negligenda sunt, ut pulpa Tamarind.; Crem. Tart., Tict Rhei aquos., quae non modo vim antiphlogisticam habent, sed etiam hepatis secretiones restituunt, sordes gastricas auferunt, itaque inflammationem diminuunt.

Nec minorem afferunt utilitatem clysmata ex Dect. Hordei, sero lactis, aliisque parata. Deinde externe infrictiones oleorum mitium et pinguium, cataplasmata emollientia, vel fomentationes ex aqua cum aceto paratae, ad hypochondrium dextrum applicentur. Hac in curatione subsistas, dum sthenia adsit, sin autem morbus ad astheniam transit, etiam ratio medendi mutanda est. Etenim homines debilitati hancce graviorem methodum antiphlogisticam sustinere non possunt. Tunc, quamquam modica venaesectio Unc. VIII, Ammon. muriat., Crem. Tart., magno emolumento sunt, raro tamen resolutionem obtinemus. —

Attamen, hisce factis, saepe major hepatis sensibilitas remanet, quam infrictione Linim. volat. cum Opio, cataplasmatis ex Hrb. Cicat. cum Hyosc. balneis tepidis, vesicatoriis, ad hypochondrium applicatis, depellere oportet, quibus interna remedia, ut Emuls. oleosas Semin. Papav. cum Extr. Hyosc. Opio, aliaque similia adjungere possumus. Jam quoque mercurialia adhibeas, quae quidem initio morbi aliis remediis postponenda, decrescente autem morbo, et ad erethismum vergente, ceteris praeferenda puto. Praecipue autem Calomelas interne, atque unguent. Hydrarg. ciner., dum salivatio fiat, externe adhibe, quibus remedia amara, ut Extr. Tarax., Chelid., Gent. rubr., etiam Salia neutra tali dosi addas, ut aegroti duas, vel tres sedes quotidie habeant. Hepatitidem autem, jam initio cum erethismo intrantem, difficillime sanandam esse, quis est, qui neget? In hac morbi specie vehementes praecordiorum dolores, spasmum, tensionem eo-

rum aliquam, febrem fortem saepe invenimus, quare quin modicas sanguinis detractiones, et universales et tapicas, instituas, minime dubites; postea autem, spastico illo praecordiorum statu praevalente, adhibendae sunt Emuls. semin. Papav., cum Extr. Hyosc., aut Extr. Op. aquos., conjunctae, Calomelas, balnea tepida, infrictiones liniment. volat. cum Camph. et Opio, cataplasmata e Hrb. cicut. et Hyosc. ad hypochondrium dextrum. —

In hepatitide denique, quae in terris tropicis et apud nos in regionibus palustribus grassatur, quamquam plerumque asthenicam habet naturam, tamen plethoram aliquam suppressam saepe invenimus, quae est causa, cur initio morbi modicam venaesectionem, Unciar. VIII, instituere debeamus, tum autem, ut sanguinis circulatio, hepatis et intestini secretiones, quae his in regionibus ad putrescentiam maxime vergunt, liberae reddantur, purgantia mitia in usum vocanda sunt. Sed non multo post, cum aegroti magna virium labe citius affecti sint, ad remedia mucilaginosa nutrientia, et ad excitantia nos confugere oportet, ut Decoct. Oryzae, Emulsion. e Gummi arab., jus carnis, Infusion. aromat., ut Chamom., Valeriam., cum liquor. C. C. succ., Aethere, aliisque. Omnium autem medicamentorum praestantissimum nominatur Hydrargyrum, cujus et externus et internus usque ad salivationem usus commendatur. —

Si porro asthenica hepatis inflammatio cum torpore conjuncta est, si morbum chronicum, hepar tumefactum invenimus, hancce medendi rationem sequi debemus. Venaesectione omissa, hirudines modo

ad anum, modo ad hypochondrium dextrum subinde applices, intestini ac hepatis secretiones salibus eccoproticis et Calomel. augeas, quae remedia extractis amaris, e. g. Extr. Graminis, Tarax, Saponariae, diaeta vegetabili, adjuves. Sin autem torpor major fit, ad usum internum pilulas e Sap. medicat., Sulph. aurat., Gummi ammoniac., nec non balsamum Terebint., Capavi., diaetam excitantem, ad usum autem externum, Linim. volat. camphorat., Petrol., unguent. Hydrarg. ciner., fomentationes aromat. Vesicatoria ad hepatis regionem applicata, tibi comendata velim.

3. Indicatio, quae spectat ad complicationes.

In morbo nostro, si cum gastritide complicatus est, ubi fere semper vomitu vehemente orditur, statim sanguinis detractiones quam maximas institue, deinde, si propter majorem ventriculi sensibilitatem, vomitus manet, pulvere aërophoro, aut aqua Ment. pip., cum Liquor. anod. miner. Hoffm. et Tict. op. conjuncta, utere, sinapismum ad epigastrium applica. —

Pneumonia cum hepatitide conjuncta, apparatum antiphlogisticum requirit. Diarrhoea, quam in hepatitide nonnunquam observamus, ex enteritide saepe oritur, quae remediis antiphlogisticis cedit; saepius autem biliosam ac criticam habemus, quam sistere non licet. —

In hepatitide, quae in terris palustribus sub forma febris remittentis grassatur, post modicam sanguinis detractionem, optimo cum successu China,

aut Chin. sulphur. adhibetur; illius Unc. duas, hujus autem gr. duodecim ad quatuordecim inter remissionem dare possumus. Sed non raro, hisce remediis sumptis, intestini secretiones et excretiones haesitant, abdomen tenditur, hypochondrium dextrum intumescit, pulsus parvus fit ac frequens, oculi flavi, aegrotus mortem obit, nisi Calomelane multas sedes biliosas efficere possimus. In secundo autem febris impetu, si accedit, primo soporem Serpentar; Valer., Camph., Moscho impugnare, tum proximum febris impetum Chin. sulph. arare debemus. —

4. Indicatio ad morbi exitus spectans.

Si inflammatio resolvitur, methodum quam eo usque secutus es, continua, et virium refectionem cibis eupeptis ac remediis amaris, e. g. Extr. Gram., Card. bened, in aqua aromatica solutis, adjuva. Nonnunquam autem resolutionis tempore dolores abdominis, vehementer vexantes, cernimus, qui, subita bilis perversae effusione intestinum provocati, facile remediis purgantibus datis propelluntur. Cum porro propensio aliqua ad polycholiam remansit, praesertim si sordes biliosae sursum turgeant, emetica indicata sunt. —

Sin autem hepatis inflammatio in suppurationem transit, abscessum cataplasmatis calidis, ad hypochondrium deytrum applicatis, maturare oportet. Sed remedia quoque interna hoc in casu negligenda non sunt, quare, ut febrem hecticam diminuamus, et vires sustentemus, lacte, sero lactis, aqua selterana, China cum Acido sulphurico, aliisque similibus medicamentis uti debemus. Simulac autem absces-

sum externe distinguere possumus, eumque omnino fluctuantem invenimus, statim incisionem lanceolae ope facere, et pus tali modo emittere debemus. Sed multum inter est, ut eo in loco incidatur, ubi hepar eum peritonaeo cohaeret; nam si incisio major fit, quam illa adhaesio est pus in abdomen effusum peritonitidem gangraenosam efficit. Tum aegrotus dextro lateri incumbat, ut pus facilius defluere possit. Denique, abscessum, adhaesiva illius parietum inflammatione exorta, claudere tentabimus, quem in finem magnum linamentum abscessus regioni imponi, idque fascia corporis firmari jubent, quo interdum eveniat, ut magni hepatis abscessus brevi tempore sanentur. Sin autem puris effluvium non cessat, si malum habet indolem, injectiones infus. Chamom. cum melle subinde instituendae sunt. Nihilominus autem morbi sanationem assequi saepe nequimus, cujus rei in inflammatione chronica, aut induratione hepatis, aut in costarum carie, aut artritide, aut syphilide, aliisque dyscrasiis causa quaerenda est. Denique, si hepatitis acuta in chronicam et degenerationem vertitur, aut si ab initio sub hac forma apparet, prognosis mala est, sed morbi ratio nonnultum ab reliquarum specierum methodo curandi aberrat.

VITA.

Ego Oscarus Guilelmus Rudolphus Schultze, confessioni evangelicae addictus, natus sum Saatzke, Marchiae Brandenburgensis pago, die XII. mens. Maji a. 1814, patre Georgio Frider. Schultze, verbi div. ministro, matre Guilelma e gente Maneke, quibus adhuc vivis gaudeo. Primis literarum elementis a patre eruditus, duodecimo vitae anno gymnasium Neo-Ruppinense, quod tunc temporis Directore Beat. Thormeyer florebat, adii, ibique per septem et dimidium annum classes frequentavi. A gymnasio cum maturitatis testimonio dimissus, hanc litterarum universitatem Fridericam Guilelmam petii et in civium academicorum numerum a. 1834 Paschali tempore a Rectore magnifico Ill. Strauss receptus, atque ab Ill. Busch, t. t. Decano, medicinae studiosis ad-

scriptus sum. Ibi per annos duos cum dimidio hisce interfui lectionibus: Cel. Michelet de logice; Cel. Turte de physice et chemia; Ill. Link de historia naturali, de botanice, de encyclopaedia medica; Ill. Schlemm de osteologia, et syndesmologia; Ill. Mueller de anatomia corporis humani sani, de physiologia, de anatomia organorum sensuum, de anatomia comparata et pathologica; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali; Ill. H. Roose de pharmacia. Artem cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm me docuerunt. Docentes praeterea audivi: Cel. Wiegmann de zoologia; Ill. Hecker de morbis acutis et chronicis; Ill. Wagner de pathologia et therapia generali, Ill. Rust de chirurgia tam generali quam speciali; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi; Cel. Kluge de arte obstetricia; Ill. Schultz de materia medica; Cel. Kunth de plantis officinalibus.

Tum ad almam Halensem universitatem me contuli, ubi ab Ill. Gerlach t. t. Prorectore magnifico, et ab Ill. Niemeyer t. t. Decano maxime spectabili in civium academicorum numerum receptus, per annum hisce scholis interfui: Ill. Krukenberg de pathologia et therapia tam generali, tam speciali; Ill. Blasius de akiur-

gia, de ossibus fractis et luxatis. Nec non ibi frequentavi scholas clinicas medicas Ill. Krukenberg per annum, Ill. Blasius chirurgico — ophthalmiatricas per semestre. —

Deinde ad universitatem literariam Fridericam Guilelmam redux, a Rectore magnifico Ill. Boeckh in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Wagner, Decano summe spectabili, in album facultatis medicae inscriptus, per semestre hisce scholis clinicis interfui, et medicis et chirurgicis, et ophthalmiatricis et obstetriciis: Ill. Bartels, Ill. Rust, Ill. Jüngken, Cel. Kluge. Quibus viris, optime de me meritis, gratias quam maximas habeo semperque habebo. —

Tentaminibus et philosophico et medicis atque examine rigoroso feliciter superatis, spero, fore ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur. —

T H E S E S.

1. Menstruorum ratio sanitatis metrum.
2. Faciei semiotice magni est momenti.
3. Scirrhus nunquam sanabilis.
4. Phthises nihil sunt, nisi exitus aliorum morborum.